

I. N. 7.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De

PROPRIORUM

COMMUNICATIONE

Quam

PRÆSIDE

M. JOHANNNE MICHAELE

Straußen /

Coll. Philosoph. Adjuncto

publicè defendet

JOHANNES STÜMERUS,

Stadâ Bremensis.

In Auditorio Majori, d. 5. April.

hor. matut.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS HAKEN.

M. DC. LXII.

~~105.~~

a. C'XVIII. 18.

oll. diss. A
8, 18

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

PROPTER
COMMUNICATIONE

M. JOHANNIS MICHAELIS



JOHANNES STIMMERUS

in Auditorio ...
Stadt ...

IN ...
TYPIS JOHANNIS HAKEN

03.

IN NOMINE JESU!

PARAGRAPHUS

DE Propriorum Communicatione disputaturi, explicationes terminorum ut præmittamus, operæ pretium erit. Quippe his omissis, neque ritè status controversiæ formari, neque firmiter sententia vera confirmari potest.

2. Dicendum ergò: Quale intelligendum proprium? Qualis Communicatio? Quomodo subjecta comparata esse debeant? Siquidem hic duo requiruntur, unum communicans, alterum cui communicatur. Quænam causa sit communicationis. Et si forsan alia observatu digna sunt, quæ circa hanc controversiam occurrunt, ea breviter annotabimus.

3. Proprium aliàs à Porphyrio quatuor dicitur modis. Unde versus:

Est Medicus, bipes, canescens, denique ridens.
Primo modo Proprium est, quod soli quidem speciei accidit, sed non omni individuo v. gr. Medicum esse, soli speciei humanæ competit, non verò omnibus individuis, aliàs quilibet Corydon & Pamphilus esset Medicus. Et hoc Logicis abusivè proprium dicitur. Secundi modi proprium vocatur, quod omni quidem competit Individuo, non verò soli speciei. Ut bipedem esse naturâ competit omnibus Individuis hominum, non tamen soli speciei humanæ, aliàs homo Platonius & multa alia volatilia essent homines. Et hoc comparatè dicitur proprium, v. gr. Si homo confertur cum equo tunc proprium ejus dicitur esse bipedem, quod omni homini & semper competit, equo verò nunquam. Proprium in tertio modo describitur, quod soli & omni quidem speciei competit, sed non

semper. Ut canescere propriè soli ac omni competit homini: est non semper. Unde vocatur proprium interdum & nunc, quippe certis tantummodò temporibus homini convenit. Proprium denique in quarto modo est, quod uni ac soli Subjecto & omnibus ejus individuis ac semper inest. Ut risibilitas uni ac soli homini, & omnibus individuis humanis cujuscunque demum sexus sint, inest. Et hoc dicitur proprium propriè dictum, quia aliis non est commune, ac per se & necessario inest, & per se denominat subjectum suum, quo contradistinguitur ei quod per accidens & contingenter inest, ut consulem, Prætozem esse, in homine. Unde & subjectum suum, cui competit illud proprium, non tantum denominat, sed & ab aliis distinguit, v. gr. Hinnibilitas est proprium equi, in quarto modo, quia uni soli speciei, ac omnibus Individuis inest, & per hoc distinguitur à bove, qui bovat, à cane qui latrat, &c. Et de hoc ultimi modi proprio hic disputamus, an illud possit communicari? e. gr. Vita quæ est proprium animæ in quarto modo communicatur corpori, calor est proprium ignis in quarto modo communicatur ferro ignito.

4. Proprium hoc dicitur aliàs essenziale consequens, cum ipsam essentiam rei non constituat, sed eandem & cumprimis formam insequatur. Sic risibilitas non constituit quidem essentiam hominis, immediatè tamen formam sive essentiam hominis constitutam insequitur. Quò fit, ut non tantum recipietur cum subjecto suo, h. m. Omnis homo est risibilis: Et omne risibile est homo: sed in iis quoque subjectis, ubi forma specifica nos latet, ab hoc proprio differentia desumitur, quod cernere licet in omnibus animantibus brutis & aliis subjectis multis. Unde equus dicitur animal hinnibile, canis latrans. Leo rugiens. Ubi loco formæ stat proprium, quare differentia à posteriori desumitur. Ceterum & hic illa regula observanda est, quod propria de potentia, non de actu intelligenda sint. Sic homo non semper actu videtur, quamvis potentiam videndi habeat, quod contra Magicos notandum, qui, ubi actus non erat, potentiam negabant. Item homo mutus potentia loquendi non destituitur, quamvis actu non

non

non loquatur, proprium tamen ei quoad denominationem & convenientiam manet, ut habeat potentiam loquendi, quam facultatem anima exercere non potest, quia organa, per quæ loquela exerenda erat, non sunt legitimè disposita. Remanet tamen homini naturalis loquela. Corrupti equidem possunt organa, non anima, nec potentia. Hinc salvâ animâ, salvis potentiis deficiunt operationes, ita ut anima Bartimeï non minus integra sit, quàm anima Tiberii, qui & noctu vidisse perhibetur. Sed hæc de proprio dixisse sufficiant.

5. Nunc de communicatione dispiciendum erit. Quæ describitur, quod sit participatio plurium de una re, sive id fiat quoad possessionem, seu ulteriorem quoque usurpationem. Sed hæc quàm maximè variat. In genere alia dicitur intellectualis: alia realis. Illa dicitur κοινωνία κατὰ μέγεθος s. essentialem participationem, quæ est inter ea subjecta, quæ non sunt realiter distincta, & de ejusdem rei natura ac definitione participant. Sic propria generis dicuntur communicari speciebus & harum propria, Individuis. Sic quia animal dicitur corpus vivum, mixtum sentiens, etiam homo dicitur corpus vivum mixtum sentiens cum sit animal. Et quia homo dicitur animal rationale etiam Paulus, Johannes, Margareta erunt animalia rationalia, cum sint homines. Et hæc communicatio rationis communicatio dicitur. Non quidem ac si à ratione ita fingatur, sed quia extrema, ratione saltem distincta, sortiuntur naturam communem: Hæc verò dicitur, quâ plurâ realiter distincta de uno communi participant. Et hæc diversis contingit modis. 1. Est communicatio inter accidens & accidens, quando duo vel quoque plura accidentia realiter distincta in uno subjecto concurrentia de eodem participant. Ut Theologia & Philosophia in studioso, pulchritudo & castitas in femina (quamvis hæc rara sit avicula) flavedo, rubedo ac dulcedo in pomo. Quæ accidentia cum de communi participant subjecto, de eodem communicari dicuntur. Neq; tamen propterea de se invicem prædicantur in abstracto, ut dicam Theologia est Philosophia, pulchritudo est castitas, flavedo est rubedo, sed & in concreto, Theologus est Philosophus, pulchrum

est castum, flavum est rubrum. 2. Communicatio inter substantiam & accidens est, quando propter inhærentiam accidentis in subjecto, eidem tribuitur id, quod accidenti per se cõpetit, v. gr. Caloris proprium est urere, quod tribuitur igni ob calorem ipsi competentem, ut dicam: ignis urit.

6. Succedit tandem 3. Communicatio inter substantias diversas. Et hæc duplici contigit modo. Est enim vel inter substantias seorsim existentes: vel unitas. Illa triplex est. 1. Dicitur *κοινωνία καὶ μετέκβασις* s. transgressionem ubi id, quod communicatur subjectum communicans relinquit, & ad illud cui communicatur, subjectum, migrat. Et hæc in donationibus cum primis spectatur, ut si sponsus sponsæ dat arrham, Johannes Petro librum gladium s. eqvum. 2. Communicatio est *κατ' ἀλλοποιήσιν* s. secundum productionem alterius similis, & fit, quando in eo cui cõmunicatur producitur simile aliquod, quod erat in communicante. Sic Pater generando filium eidem communicat animam & corpus adeoque sibi simile producit. Aristoteles Alexandro M. communicavit eruditionem. Quæ communicatio effectiva dicitur. 3. Denique datur communicatio quoad *χρῆσιν* s. secundum usurpationem, quâ alteri aliquid communicatur quoad usum. Quæ cum primis inter amicos locum habet. Ut si Christiano Johannes communicet eqvum ad iter conficiendum. Ibi est communicatio quoad *χρῆσιν* non autem quoad *κτῆσιν* s. possessionem. Unde nata regula: Amicorum omnia communia quoad *χρῆσιν* sc. non autem quoad *κτῆσιν*. Quæ tamen non extendenda sunt ad uxores liberos ac facultates, sed de iis valet, quæ honesta & licita sunt. Verum de his communicationis modis hic non disputamus, cum adhuc sint inter substantias diversas. Ideo autem adducuntur, ut magis naturam communicationis cognoscamus, & ex his modis ii, qui omnem communicationem respuunt & exspuunt, convincantur, dari communicationem, nisi velint negare, se à parentibus suis nec animam, nec corpus habere, sed forsan aliunde.

7. Quare illa demum hic locum habet communicatio, quæ dicitur *κοινωνία κατ' ἐνώσιν & κατ' συνδύασιν*, quia est inter

ter

ter substantias unitas & conjunctas, quando nempe propter
 unionem id, quod unius est proprium, alteri confertur sine sui
 multiplicatione aut transfusione ad communem possessionem,
 usurpationem & denominationem. Complectitur hæc 1.
 Duo subjecta distincta, aliàs non posset esse communicatio. 2.
 Unionem, quæ est causa communicationis. 3. Proprium, quod
 communicatur. 4. Modum, sine multiplicatione & transfusa-
 one. 5. Finem s. terminum communicationis ad communem
 possessionem, denominationem seu usurpationem. e. gr. In fer-
 ro ignito, quando ignis ferro communicat calorem. Ibi 1.
 duo sunt subjecta, ferrum & ignis. 2. Accedit unio. Aliàs si ignis
 non admooveretur ferro, nec cum eodem uniretur, nunquam il-
 lud ignitum, vel de eo, quod uteretur, dici posset. 3. Proprium
 ignis, quod communicatur, est calor. 4. Communicatur illud
 proprium ferro sine sui multiplicatione, ut non alius ac diver-
 sus calor sit ignis, alius verò ferri, ad excludendam communi-
 cationem *κατ' ἀλλοποιώσιν*. Fit quoque sine transfusione,
 ut calor ignis non desinat esse proprium ignis, & fiat proprium
 ferri, sed manet unus idemque numero calor, ad excludendam
 communicationem *κατὰ μετέκτασιν*. Et tandem 5. datur ibi
 communis possessio, ut ferrum revera habeat calorem. Ideo a. dici-
 tur cōmunis, quia unum idemque propriū ab utroque subjecto cō-
 municante scil. & participante possidetur, diverso tamē modo.
 Alio enim possidens, alio participans. Illud secundum naturam
 suam primariò & immediatè: hoc per aliud secundariò & me-
 diatè, mediante subjecto primo, & quidem propter *ἐνωσιν*. Ad
 usurpationem quoque fit communicatio, quæ ex possessione fluit,
 ut ferrum propter calorem communicatum urat. Quamvis
 possessio & usurpatione non æque latè pateant, licet hæc illam præ-
 supponat. Quare intelligenda sunt hic propria *ἐνεργητικά*, nam
ἀνεργητικά saltē quoad possessionem communicantur, ut levi-
 tas ignis. Tandem sequitur exinde denominatio, ut ferrum
 dicatur calidum, sic verè dico ferrum urit. Et hæc est verè a
 propriè dicta communicatio, quam hic intelligimus, quando
 de commucatione priorum disputamus, eandemque contra
 adversarios defendimus.

8. Coeterum cum unionem causam communicationis diximus, non intelligimus hic unionem verbalem, ubi nuda convenientia datur in verbis nulla autem participatio de re, unde impropriae nascuntur locutiones & metaphoricæ, ut si dico, praeta rident, Herodes est vulpes, Davus est asinus; sed realem, quæ nihil aliud est, quàm duarum vel plurium rerum distinctarum, arctissima conjunctio, ut ex ijs unum quoddam constituatur. Neque hic admittimus unionem *τοῦ ἁπλοῦ* seu accidentalē, quæ est, quando quædam per accidens & *τοῦ ἁπλοῦ* uniuntur, quæ externa saltem est, & improprie unio dicitur, ubi nulla cōmunicatio expectanda, ut quando duo asseres conglutinantur qui leviter saltem se invicem tangunt & absque *ἄλλοις* coherant. Talis quoque unio est inter anulum & gemmam, arborem & ramum, oceanum & Antverpiam, qualia exempla ineptè in hoc negotio adducunt Calvinistæ. Huc referri quoque potest unio quæ fuit inter monitorem nocturnum adstantem lateri Cinglij & ipsum Cinglium: sed de interna nobis sermo est, quando unita arctissimè uniuntur, ut se intimè permeent. Estque vel essentialis, quando plures substantiæ uniuntur essentialiter ad unam essentiam constituendam, quomodo uniuntur anima rationalis & corpus organicum ad essentiam hominis constituendā: vel suppositalis, ubi plures naturæ uniuntur ad unū suppositum constituendum, quomodo ignis & ferrum uniuntur. Et hanc unionem internam proprie causam communicationis esse dicimus.

9. Negant autem Calvinistæ unionem esse causam communicationis. Verum pro astruenda sententia nostra contra eosdem ita argumentamur: Quocumque posito in actu, ponitur communicatio, eoque remoto, tollitur eadem, illud est causa communicationis: Atqui posita unione in actu ponitur communicatio & remota unione tollitur eadem. E. unio est causa communicationis. Major negari non potest & nititur illā regula. Posita causa in actu ponitur effectus. Minor ex exemplorum inductione patet. Positā enim unione animæ & corporis sequitur communicatio, ut anima communicet corpori vitam. At solve eandem unionem & tolle animam à corpore,
crit

erit cadaver. Tolle unionem à Calvinista, quid erit quàm ca-
daver? Nisi forsan quoad corpus incipiat vivere vita bruti, vel
plantæ. Sic igne unito cum ferro, calor ferro communicatur,
ut verè urat, & qui hoc negat ex adversariis, tam diu ferro ignito
vexandus erit, donec fateri cogatur, quod tale ferrum urat: remo-
to a. igne sive soluto à ferro, etià cōmunicatio caloris exspirat.

10. Nullius autem momenti est, quod excipiunt adver-
sarij: sc. proprium effecta communicari, non verò propria
ipsa. Quasi vero posito actu secundo negandus esset actus
primus. Effectus enim præsupponit propria. Sic corpori
tribuitur actus vivendi. E. necesse est, ut quoque vim & faculta-
tem vivendi habeat. Ferro ignito tribuitur actus urendi, E. ca-
lorem & facultatem urendi habebit. Calvinistæ tribuitur actus
generationis E. potentiam generandi habebit, aliàs erit impotēs.
Bovi tribuitur actus boandi, potentiam ac facultatem boandi
habeat. Item, quando Calvinista ratiocinatur hunc in mo-
dum: Omne corpus naturale est in loco: Christi corpus
est corpus naturale. E. est in loco. Et per consequens, non
est omnipræsens. Hic syllogismus est effectus rationis: Jam
si exinde inferre vellem, Calvinistam esse destitutum ratio-
ne s. facultate ratiocinandi nunquam hoc concederet, cum sa-
tis ingeniosè à ratione, (quæ nondum obedientiæ Christi sub-
jacet) fabricatum videatur esse hoc argumentum.

11. De subjectis inter quæ est communicatio præter ea,
quæ supra dicta fuerunt, adhuc observandum erit, quòd sint
realiter distincta, ad excludendam communicationem
vitali tamen ut uniantur sine confusione ac cōmixtio-
ne vel essentiæ vel proprietatum. Realiter autem diversa sub-
jecta sunt, quorum neutrum ex se de essentiâ alterius participat,
hinc diversam habent naturam & essentiã, diversasque pro-
prietates, ut anima & corpus, ferrum & ignis. Cæterum ut
communicatio inter hæc subjecta locum habere possit, unio ac-
cedat necesse est, hinc requiritur, ut subjecta sint unita, alias in-
ter illa non datur communicatio. Sic anima non dum est in cor-
pore, eidem non potest communicare vitam. Ignis, si non ad-
movetur vel unitur cum ferro, hoc non potest dici ignitum,
B quem

quemadmodum in antecedentibus diximus. Diverso tamen modo ratione subjectorum propria considerantur. Vnum enim subjectum dicitur primarium, quod communicat proprium, quia ipsi per se inest, nec definit esse ejus proprium: alterum secundarium cui communicatur, quia κατ' ἄλλο propter unionem scilicet ipsi competit proprium ἀμέσως s. immediatè: alteri ἐμμέσως s. mediatè, manentibus subjectis, eorumque propriis realiter diversis. Sic ignis in ferro ignito primarium dicitur subjectum, cum calor ipsi primariò ac per se competat, itemque immediatè: Ferrum autem secundarium, quia ipsi secundariò per aliud & mediatè cõmunicatur, propter unionem scilicet ignis cum ferro; ita tamen ut maneant ignis & ferrum distincta subjecta, & proprium ignis, calor nempe diversus sit ac maneat à propriis ferri, & sic in cæteris. Non enim hic metuendum, ut una natura in aliam per metamorphosin ovidianam abeat, qui vanus timor fuit Danaï & Sædeclis.

12. Cæterum nec talem communicationem proprii hic intelligimus quæ fit secundum inhesionem, ita, ut proprium subjecto, cui communicatur inhæreat; sed quoad possessionem usurpationem ac denominationem. Ob intimam enim unionem ac mutuam ἀντιχώρησιν potest id, quod uni inest inhæsiuè, de altero dici denominatiuè per realem competentiam, ita ut ipsi verè competat propter unionem ac communicationem, quare hoc dicitur subjectum non inhesionis, sed denominationis. Neque obstat illud vulgatum: Dici requirit inesse. Multa enim dicuntur de subjectis, quæ tamen per in hærentiam physicam non insunt. Sic Paries dicitur à nobis videri, nec tamen visio inest in pariete per inhærentiam physicam. Sic à Wendelino in exercitationibus suis dicitur, quod Zanchius sit in cælo Empyræo, nec tamen eidem inhæsiuè in est per in hærentiam physicam, aliàs Zanchius foret accidens, accidentis enim esse est in esse. Quare dici requirit inesse, licet non semper per physicam inhesionem, tamen per realem competentiam. Etenim quia paries videtur dicitur visio de pariete, quæ ipsi reverà cõpetit, quamvis eidem non insit per inhærentiam physicam. Nec illa regula offendit, quod unum numero accidens non possit esse

esse

esse in diversis numero subjectis. Si quidem ex dictis patet, quod non eodem modo propria de subjectis dicantur, de quo regula loquitur, sed diverso, ut uni primario competatur per se, alteri vero secundario & per accidens.

13. Tandem & hoc monendum circa priorum communicationem, quod non sequatur, communicato uno priorum, omnia communicari. Alias sequeretur, animam Zanchij, quæ corpori ejusdem communicavit vitam eidem quoque communicasse immortalitatem, unde ille non transportandus fuisset quoad animam in cœlum Empyreum. Et obstat ille canon: Communicato uno priorum non statim communicatur alterum. Cæterum distingvendum hic inter communicationem quoad κτήσις & quoad χρήσις. Non omnia propria statim communicantur quoad χρήσις, quamvis quoad κτήσις eadem communicentur. Sic illocalitas est proprium animæ, & cum subjectum h. e. ipsa anima corpori communicata sit ad possessionem, etiam illocalitas communicata erit ad possessionem, non autem quoad usurpationem s. denominationem ut corpus dicatur illocale hic anima Zanchii, quia est illocalis non potest esse in cœlo Empyreo alias facta esset localis (Calviniani enim crassiores cœlum Empyreum locum creatum dicunt, in quod Wendelinus Zanchium collocavit) aut unà cum corpore transportatus fuit in cœlum, Zanchius forsitan Cinglij, ubi Hercules cum clavâ suâ gubernat. vel si corpus quoque factum est illocale, non poterit esse in cœlo Empyreo, quia uno priorum communicato, omnia communicantur juxta Calvinianos. Quare ulterius distingvendum est inter propria ἐνεργητικά, quæ actuosa dicuntur & ad extra proferuntur: & ἀνεργητικά, quæ intus manent, nec se exerunt. De illis dicitur, quod communicentur, & secundum illa subjecta denominentur. Sic quia calor se exerit in ferro ignito, ut ferrum verè urat, dicitur communicatus ferro; quæ vero intus manent dicuntur non communicata, sc: quoad χρήσις quamvis quoad κτήσις communicata sint, y. gr. quamvis levitas ignis ferro communicata dicatur non communicata, sc: quoad κτήσις nihilominus tamen quia est proprium ἀνεργητικόν, quod se per ferrum exerit, dicitur non communicatum ad denominationem.

nem scil: ita ut propterea ferrum dicatur leve. Quippe deno-
minatio à χρῆσει, non à κτήσει pendet. Tandem distingui-
tur quoque inter communicationem mediatam: & immedia-
tam. Hæc est, quando nullo alio interveniente proprium com-
municatum prædicatur de unito, cui communicatum est, quo-
modo propria ἐνεργητικὰ enunciantur, ut ferrum est calidum:
mediata verò est, quando alio interveniente proprio proprium
de unito subjecto prædicatur δὲ τέρως, quomodo propria
ἀνενεργητικὰ s. quiescentia enunciantur. Sic non dico immedia-
tè ferrum est leve, quia levitas per ferrum se non exerit, sed me-
diatè ferrum est calidum calore levi. Unde enatum illud axi-
oma: A communicatione proprii pro communi κτήσει sumtâ
ad immediatam proprii denominationem non valet conse-
quentia.

14. Ex hæcenus dictis status controversiæ facile formari
potest. scil: quod quæstio sit: An illud quod est unius subjecti
proprium in quarto modo, alteri subjecto ab illo realiter di-
stincto communicari possit communicatione κατ' ἐνωσιν & συν-
δύασιν, hoc est verè ac realiter propter unionem intrinsecam ac
realem ad communem possessionem usurpationem & denomi-
nationem. Quod affirmamus: adversarij verò negant.

15. Sententiam nostram, quæ est affirmativa, probamus
tali argumento: Ubicunq; datur realis intrinseca & permea-
bilis unio ad unum quoddam compositum constituendum &
operationes compositi perficiendas, ibi necessario datur istius
essentiæ & proprietatum communicatio: Atqui inter quasdam
naturas s. essentias datur talis unio. E. Major patet: quia im-
possibile est, unum compositum reale incommunicabile con-
stitui ex pluribus incommunicabilibus, quia ex duobus actibus
per se in æternum non potest fieri unum actu, uti Scaliger Ex-
ercit. 6. sect. 5. Gisbertus Effat. Philosoph. Cent. 2. Can. 29. statu-
unt, quare non possunt concurrere ad unum per se constituen-
dum actus & potentia, quin statim insequatur ἀειχώρησις mu-
tua, si non semper activè, tamen ex una parte passivè, uti ex
Damasceno notat Dn. D. Feurborn. σκιαγραφ. Theol. Dissert. 1. p.
12. At talis ἀειχώρησις sine communicatione esse nequit. Agit
E. u.

E. una natura non separativè, cum per unionem efflorescat unitas suppositi, sed cum communicatione alterius per participatam virtutem. Et sic posita unione, ponuntur termini communis participatio & operationum communicatio. Quippe communicatâ essentiâ, etiam quæ essentialia consequentia coherent ut causa & effectus, & unionem juxta Philosophum sequitur communicatio. Unde ita inferri potest: Si posita causa ponitur effectus, sequitur quod posita unione, ponatur communicatio: atqui prius est verum E. consequentia modo probata fuit, & ulterius contra adversarios ex definitione causæ h. m. confirmatur: causa per emanationem est, à qua sua sponte sine ullo quasi agentis conatu effectus profluit, ac emanat & sequitur, quæ definitio est ipsius Rutgersii Philosophi olim Heidelbergensis & Steinfurtenensis l. 2. Instit. Metaph. c. 4. p. 235. Jam subsumo: Unio est à qua sponte fluit & emanat communicatio propriorum. E. Minor patet ex exemplis paragrapho sequenti adducendis.

16. Probatur ergo minor exemplo formæ, quæ communicat materiæ essentialiam suam & operationes. Hinc argumentor: Cuiuscunque communicatur essentialia eidem quoque essentialia s. cum essentialia indissolubiliter connexæ proprietates. At forma materiæ communicat essentialiam suam interveniente unione. E. communicabit quoque proprietates essentialia. Major manifesta est cum propria sint inseparabilia à suis subjectis. Minorem denuo ex Rutgersio probo, qui loco citato p. 205. Formam ita definit: Forma est causa, qua per modum actus præbendo s. communicando seipsam materiæ constituit cum ea compositum. Sic anima & corpus ita uniuntur ad unum per se constituendum unione reali & intrinseca, ut anima non tantum essentialiam sed & proprietates communicet corpori, ut corpus dicatur vivere, sentire, videre &c. etiam quoad actum primum qui vel in *λυποθυμία* & somno non desinit, aliàs enim non differret à corpore mortuo. Corpus autem quâ tale & in se ejusmodi affectionibus non gaudet, quemadmodum patet ex corpore Adami, quod ante animæ inspirationem

onem nullas operationes vitales edere poterat, itemque ex eor-
pore post factam animæ solutionem ab eodem, quod itidem e-
jusmodi operationibus destituitur. Quare relinquitur quod
per aliud ipsi eidem competant, nempe propter unionem cum
anima. Hæc enim est principium primum operationum &
subjectum proximum, quod corpori operationes communi-
cat. Neque hic quicquam valet Keckermanni regula, quam
sibi fingit: A communicatione suæ Entitatis ad communica-
tionem priorum non valere consequentiam. Sed hæc
regula non tantum ex natura priorum, sed & exemplis an-
nihilatur. Etenim proprium per se, necessario ac semper
competit subjecto suo, eidem inseparabiliter inest, ita ut posi-
ta anima, ponatur vita, posito igne, ponatur calor, posito e-
quo, ponatur hinnibilitas: posita anima rationali, ponatur risi-
bilitas, docilitas &c. & vicissim posita vita ponitur anima,
posito calore ponitur ignis, posita hinnibilitate, ponitur equus,
posita docilitate vel risibilitate, ponitur homo vel anima ratio-
nalis. Quando E. subjecta Communicata dicuntur etiam pro-
pria illorum subjectorum communicata dicuntur, cum esse
suum habeant in subjectis suis communicatâ ergò animâ com-
municatur vita ac sensus, communicato igne communicatur
calor, nisi Keckermannus sinè omni sensu esse velit, cum for-
san calorem ferri candentis, si digitis illud tangat, non sentiat,
eum saltem ignis, juxta ipsum, non verò calor sit communi-
catus.

17. Nec illa ejusdem authoris exceptio probationem no-
stram impedit. Si actus formæ communicaretur materiæ, non
esset eadem amplius principium passivum, sed essent duo actu-
alia principia, quod adeo absurdum, ut nihil supra. Verum
respondemus negando consequentiam. Et repetenda hic di-
stinctio supra dicta, inter communicationem *κατὰ μετέχου-
σιν*: & *κατ' ἐνωσιν*. Non enim hic talis communicatio sin-
genda est, ut actus formæ formam suam derelinquat, & mate-
riæ actus propriè, per se ac primario fiat, sed remanet ejusdè
formæ actus, quamvis propter unionem materiæ eidemque nō
per se & ex natura sua, sed *κατ' ἄλλο* per unionem realem cō-
petat.

petat. Neque etiam per actus formæ communicationem destruitur materia, vel natura ipsius & essentia evertitur; sed perficitur eadem ob unionem internam à forma ejusque operationibus. Sic fractus vitæ in Keckermanno, qui est actus formæ, communicatur corpori Keckermanni tanquam materiæ, an propterea corpus ejus desinet esse materiatum, & secundum ipsum, esse palpabile actu & visibile? Aut E. concedendum ejusmodi actus formæ communicari materiæ sine destructione ejusdem; aut materiam esse sine informatione formæ; sed posterius est absurdum. E. prius erit concedendum. Est enim materia quasi organon formæ, per quod forma operationes suas pariter ac actiones edit.

18. Cæterum cum negare non possint adversarii realiter in corpore vitam dari, nec tamen ab anima communicari asserunt, tale excogitarunt effugium atque figmentum: Duplicem esse in animato vitam, aliam animæ, aliam corpori propriam. Illam incorruptibilem, hanc verò temporaneam & corruptibilem. Verum contra hanc vitæ distinctionem ita insurgimus: Si corpus habet propriam à vita animæ distinctam vitam, illam habebit aut κατ' αὐτὸν ac per se, aut per productionem ab anima factam. Non prius, aliàs omnia corpora ex se viverent, etiam solutâ animâ, cum vitam non ab anima sed ex se habeat, & quod corpori quâ tali κατ' αὐτὸν & per se competit, id omni convenire necesse est, juxta modos perfectitatis in logicis, & ita Adami corpus in prima statim creatione antequam Deus spiraculum vitæ inspirabat eidem, habuit talem vitam. Cæterum & hoc edisserant adversarii quomodo fiat, ut corpus, separatâ animâ, proprium suum amittat? aut forsitan duplici morte moriendum erit homini, primò in solutione animæ à corpore, deinde quando corpus vitam ac proprium suum deponit, vel amittit: Porro nec posterius procedit, quod scilicet vita ab anima in corpore producat sequeretur enim animam quoque producendam esse in corpore ab anima producente diversam cum vita corporis, cū accidens non possit esse sinè proprio suo subjecto anima scil. semper enim ac perpetuo vita immediatè fluit ab anima, tanquam actus ejus. Sequitur

queretur quoque, quod in omnibus potentiis duplicitas daretur, utpote duplex potētia vidēdi in oculo duplex potentia olfaciendi, loquendi &c: alia n. potentia esset secundū animam, alia quoad corpus. Cū itaq; vita nō sit corporis κατ' αὐτό, nec ab anima corpore producta κατ' ἀλλοποίησιν, sequitur quod nostra approbanda sit sententia, vitam sc.: realiter ab anima tanquā subiecto fluentem communicari corpori communicatione κατ' συνδύασιν, mediante intima περιχώρησει, ut δευτέρω ὑποκρημίζων ad communem possessionem, usurpationem & denominationem, ut exinde corpus dicatur vivere, videre, sentire &c.

19. Placet adhuc confirmationis gratiā addere exēplū de ferro ignito, in quo ignis ac ejus proprium, calor, totam ferri substantiam intimē ac penitissimē pervadit, seque in omnes ferri partes, etiam minutissimas istarum particulas insinuat, ita ut nihil in ferro ostendi possit, quod non undiquaque sibi ignem præsentissimē unitum habeat ac conjunctum. Etenim negare non possunt adversarii, ferrum ignitum esse calidum, cum manifestē id incurrat in sensus: jam si ferrum continet calorem illum vel per se ac proprietate naturali, vel per aliud & proprietate communicatā continebit. Non illud, aliās omne ferrum, talem haberet calorem. E. hoc quod scil. ferrum calorem ab igne communicatum habeat. Neque destruit sententiam nostram hæc exceptio: Ignem sc. communicare calorem κατ' ἀλλοποίησιν h. e. producendo alium, eumque novum calorem. Nam Entia præter necessitatem multiplicanda minimē sunt. Cum itaque calor ignis sufficiens sit ad ferrum calidum reddendum, non opus erit productione novi caloris. Et cum in ferro detur summus calor, qui est proprium ignis in quarto modo, necesse est, ut ibi quoque detur ignis, quia propria sunt accidentia inseparabilia, & non separantur à subiectis suis, neque accidens proprium sine subiecto proprio existere potest. Ferrum autem non est subiectum caloris proprium, sed ignis.

20. Sed nec efficta illa larva tantum valet, ut à sententiā nostrā deterreamur, dum pronunciant adversarii, quod in ipso

ipso ferro, quâ ferrum est, calor ignis summus haud insit, sed quod ferrum candens dicatur tantû prædicatione impropria & extrinseca, sicut spōgia dicitur liquida, humida, propter aqua, quæ in ejus poros se undiqvaqve insinuavit. Verum utrumq; negatur. Nam i. locutio illa, in ferro, quâ ferrum est, est summus calor, ambiguitate laborat. Particula enim quâ, potest accipi vel reduplicativè, vel specificativè. Priori modo si explicetur, ut ferro insit calor, quia ferrum est, tunc frustra illud excogitatur, cum nemo unquam hoc dixerit: in verò posteriori modo, quod in ferro, quod ferrum est, insit calor, tunc admittimus propositionem istam: Est nihil aliud exinde inferitur, quàm, quod ei, quod naturâ suâ & propriè dictum ferrum est, insit calor, non quidem ut subjecto proprio, sed ~~de~~ mediante igne. Et quomodo calor per denominationem extrinsecam potest esse in ferro ac improprie, cum non improprie sed verè ac realiter urat, accedat modo quis ad ferrum, & impingat illud digitis, sanè non improprie illud urere satis sentiet. Caterum quod exemplum allatum concernit, de spongia aquâ repletâ id nostram confirmat potius sententiam, quàm quod eandem destruat. Spongia enim verè dicitur humida, vel liquida, nō propter humorè & liquorem absentem, aut ob extrinsecam saltem denominationem, ita ut Spongia propter extrinsecam assistentiam humiditatis & liquoris vocetur humida & liquida, sed propter intrinsecam & realem unionem aquæ cum ipsâ, itemque ob intrinsecam intimamque permeationem.

20. Et hæc sufficiant de priorum communicatione dixisse. Plura addere nec charta nec temporis angustia permittit. Uberiores probationes passim apud nostrates reperiuntur. Argumenta adversariorum autem, præter ea, quæ adducta sunt conflictui reservamus. Etsi forsân rudiori Minervâ hæc tam ardua materia à nobis pertractata fuerit, a quæ judicabit benevolus lector, & nos favore suo prosequi ulterius dignabitur.

SOLI DEO GLORIA.



Ad

Pereximium & Præstantissimum
DN. RESPONDENTEM,

Fautorem ac Commensalem per-
dilectum.

PRivatus paries ignotas occulat artes
Publica Philosophis danda theatra vi-
ris.

Hos inter nomen dudum **STÛMERE** dedisti
Hinc publicam laudem publica verba da-
bunt.

PRÆSES.

Non constat nihilo virtus: hinc ardua misces
Tœlia cum doctis, ut potiaris eâ.
Pugna fiet felix, victoria splendida: Musæ
Te serto eingent, ostia quando petes.

ES ist ein schönes Bild/freundselig/nackend/züchtig/
EGeschminkter Farben feind/zu allen sachen tüchtig
Hält in der rechten Hand ein brennend helles Licht/
Die linck ist so verwahrt/dasß keine stachel nicht
Sie blutig machen kam: Auß ihrer brüsten Auen/
Läßt Phæbus seinen glantz in reiffer bölle schauen/
Für/am/und neben Ihr sind Bücher und Pappier/
Agypten trug es vor/gebildet in Sapphier

An

An Ihrer Rechten Hals. O Freundin aller Himmel /
Die Wahrheit nennt man dich / du achtest kein getümmel /
Es strengt stark dich an die wiedrige Parthey /
So bleibst du doch entfernt von aller Schlaberey /
Und schwingst die Sieges fahn. Wer könnte dich bethören /
O Himmels Bürgerinn? Wol dem! der sich läßt lehren
Von dir die rechte Kunst. Der ist ein glückes Kind /
Ob gleich er allzeit nicht / bey allen Herberg findet.
Herr Stümer / Werther Freund / der wahrheit Freund
und Freyer /

Dem sie also spricht zu / Mein liebster / mein getreuer /
Trit auß für alle Welt / laß hören deine Kunst /
Vertreib durch meinen schein / der falschheit schwar-
ken Dunst.

Wie sol ich ihm jeh thun? Glück / Glück zu solchen stücken:
Loß auff was knotig ist / treib ab den / der bestrieken:
Dich und die Wahrheit wil. Ein unberweckte frohn:
Ist / saget Veritas, des überwinders lohn.

Seinen besondern Freund glückwünschend
schrieb dieses

Barthold Kreienberg.

*Delitia Aonidum postquam STÜMERIA Pal-
las:*

*Protulit è publico verba diserta loco,
Ingenium Juvenis Phoebus miratus ab ipso
Plausum Parnasso voce favente dedit.*

Hic,

*Hic, ait, ad magnos olim conscendet honores,
Ac nostros inter conspiciendus erit.*

Politissimo atque doctissimo

DNO. RESPONDENTI

approperab.

M. JOHANNES PARPARDUS,

Neo-Trept. Pom.

Quicupit optatam studiorum attingere metam,
Multa ferenda illi, non segni pectore sacra
Castalidum tractet, volvat librosque revolvat,
Alti etenim montes præbent habitacula Musis,
Ardua sunt quorum summo superanda labore.
Quanto tu studio quantisque laboribus ævo
A viridi ingenuas animum, STUMERE, per artes,
Docte, exercueris, tua dissertatio monstrat,
Gratulor ex animo, felicia pulpita scande,
Sic coeptam decurrere viam, STUMERE brabea
Magna reportabis, patriæque patrique & amicis
Gratus eris, nomenque tuum laud sique manebunt,
Auricomus donec Phœbus lustrabit Olympum.

Sic pereximio atque præstantissimo DNO. RE-

SPONDENTI Contrraneo suo suo

Gratissimo, gratulatur

NICOLAUS DREVIUS,

Ostia Bremensis.



M. d. d. N. 118, misc. 18